



**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XVIII. Quòd proprijs manibus unà suis Fratribus extrinsecis laboribus
fideliter insudarit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T X V I I I .

Quòd proprijs manibus unà cum suis Fratribus extrinsecis laboribus fideliter insudarit.

JAm ad propositam materiam revertendo scire convenit , quòd prædictus Prior peroptime ponderans , nihil Divino Officio præponendum fore , instituit ordinavitque , quòd idem Officium in suo Monasterio ab his , qui ad hoc deputati fuerant , perficeretur , alijs Fratribus pro lucrando pane ac domus necessitatibus virili animo insudantibus , finitisque horis & prandio meridiano jam peracto Chorales omnes ad communes labores foris egressi usq; ad Vesperas laborabant . Prior verò in propria persona Fratribus se conjungens , ac velut unus ex illis corpori suo non parens fortiter ac strenue laboravit ; nec ob hoc hujusmodi ejus familiaritas inter Fratres & Laicos contemptum aliquem in ejus personam parturivit , imo associatio ipsius ad eosdem ex eo , quòd ejus conversatio seriosa & matura fuerit , omnibus ac singulis sanctum timorem incutere non cessavit . Insuper ut ipsum in majori reverentia habere possent , præfata sua sociatio formam ad hoc ministravit . Nec ego unquam deprehendi , quòd aliquis de ejus subditis levitatis verbum in ejus præsentia loquebatur , aut in cachinnum vel in ineptum risum solveretur : talem etiam se inter suos subditos exhibebat , ut non solum ab ipsis amaretur , sed & multum timeretur ; ita ut nec aliquis sub ipso Domino DEO militans ausus fuisset vel ex parte hoc scienter transgredi , quod ab ipsius institutione noverat sibi faciendum , & idcirco cum paucis personis & brevi tempore videlicet in duobus annis & dimidio (quibus præfuit) multa opera velut animosis vir perfecit .



I

CAPUT